mini Episcopi asinum perpetrasset, non flagello,
non verbere, non dura verborum asperitate, sed solo intu
respicit factum damnavit crimen eadem poenitu-
dine, patientia non minore diluit. Nunc vero
etiam ultorem iniuriarum, defensoremque virtutis
acerrimum recogitate. Quae enim est natio? quis
angulus in orbe tam abstrusus? aut quis locus à
nostris finibus ita remotus, ad quem fama illius diei
non pervaserit: cum duo vindices Dei Ursi divino
zelo, rabieque succensi, ut honorem Elisaei prophetae,
à pueris verbarum scommatibus commaculatum defenderent,
quadraginta ex eis dilacerarunt? Non minori amore
reverentia, zeloque virtutem, quam improbitatem severitate
persequitur. ut an rigidam illius iustitiam, an vero
mansuetudinem, virtutemque tam incredibilem in bestia
debeas potissimum admirari, non invenias. Tecla
illa castissima, hominibus non generis sed virtutum cognita
nobilitate, cum obscoenam Tyrannicorum Imperatorum
vitam suo clarissimo vitae radiantis sole detexisset,
intolerabilisque tenebrionum oculis tantus luminis
fulgor apparuisset, tollenda erat è medio. Proijcitur
feris, et praecipuè Ursis veluti immanioribus,
atque ad tragoediam lamentabilem exhibendam longo
ieiunio probè instructis. Quid hic. Aud: in
bestia. Erumpunt belluae, quacunque via aperta
patet, truces, aspectuque ipso terribiles è cubilibus